1490.p.88.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

VOMITU IDIOPATHICO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE

Amplissimi SENATUS ACADEMICI EDINBURGENI,

et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER AINSLIE, SCOTUS.

K

Ad diem 15 Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.

M.DCC.LIII.

BRITISH MUSEUM
30
61
MAY

VIRO PRAESTANTISSIMO GENEROSO,

ALEXANDRO HAY,

DE *DRUMMELZIER*;

BENEVOLENTIA, MORUM SUAVITATE RARA,

OPTIMISQUE VIRTUTIBUS

PRAEDITO:

OB INSIGNIA IN PATREM MEUM, DUM VIXIT,

COLLATA BENEFICIA,

SUMMOPERE A ME COLENDO;

HASCE, QUALESCUNQUE, STUDIORUM PRIMITIAS,

VENERATIONIS SUMMAE

GRATIQUE ANIMI

TESTIMONIUM,

SACRAS ESSE VULT

ALEXANDER AINSLIE.

30
61
MAY

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VOMITU IDIOPATHICO.

QUONIAM academiae hujus illuſtriſſimae leges omnes medicinae gradum ambientes diſſertationem quendam medicam, peritiae ſpecimen, edere cogunt, quaedam de vomitu, hac occaſione, proferre placet.

VOMITUS, igitur, materiae cujuſcunque, e ventriculo per os rejectio violenta dictus, merito certe inter actiones voluntatis imperio minime ſubjectas numeratur; quia nemo, licet maxime volens, vel hunc cohibere, vel, ſine ventriculi nervorum aut ſenſorii communis irritatione determinata, excitare valet. Ructus enim iſti, aut ventriculi diſtenti exprobrationes, quae ſine minima moleſtia, ſive nauſeae ſenſu, contingunt, vel a diaphragmatis deſcenſu naturali, vel ab aëre e ventriculo (ob fibrarum muſcularium irritationem forte) proruente oriuntur, et vomitus titulo inſigniri minime merentur.

DIVIDITUR autem vomitus in idiopathicum, ubi primario afficitur ventriculus, et ſympathicum, ubi aliis partibus prius affectis conſenſu tantum excitatur vomendi co-

natus. Quoniam vero posterior tanquam aliorum morborum symptoma tantummodo consideratur, et intra angustos hujus tractatuli limites fuse satis explicari nequit, de priore tantum hic breviter agendum.

Morbus hicce inter aestati et infantiae proprios ab Hippocrate numeratur, et gulosos, Baccho deditos, atque ventriculo debili laborantes praecipue infestat.

Infantes recens nati muco tenaci glutinoso ventriculi, &c. superficiem obducente, et nervos ingrate afficiente, plerumque torquentur, unde vomitus, &c. Simulac autem ubera matris jam duxerunt, quoniam corpora eorum tenella humoribus ab alkalescentia maxime alienis praedita sunt, lactis ingesti naturam in acidam vergentem haud raro permutare non valent; praecipue quia id ob ventriculi debilitatem sat cito in intestina propelli nequit: lac igitur in parte calida fotum, et forte prioris ingesti reliquiis commistum, cito coagulatur, in acredinem transit, et ventriculi nervos, tunc temporis mobilissimos, irritando, vomitum excitat. Praeterea, quoniam infantum genus nervosum ab irritatione vel minima facillime turbatur, saepissime vomitu sympathico laborant hi tenelli.

In hac regione aestivi calores leniissimi vix vomitum eo quam aliis temporibus magis frequentem reddunt; sed in Graecia et terris meridionalibus, ubi tempore aestivo maxime furit aestus, omnia animantium liquida, et praecipue bilis, in putredinem tendunt. Haec igitur in intestina effusa, et versus ventriculum retropressa, facile vomitum eo tempore frequentiorem reddere queat: porrò, omnia

BRITISH MUSEUM 30 61 MAY

omnia ingeſta citius tunc ſuas ſequuntur indoles, et fructus horaei ſaepius eo tempore nimia copia ingeruntur, unde aliae vomitus cauſae.

QUANDO ventriculus nimia cibi potuſve copia oneratur, ſitus mutatio, (quae plicam quaſi in oeſophago creat), et fibrarum ultimarum oeſophagi circularium in ventriculi latera deſcendentium diſtractio, ſequuntur; unde perfecte occluditur orificium ventriculi ſuperius. Stratum vero fibrarum muſcularium robuſtum inter orificia decurrens, quoniam cauſae diſtrahenti adeo facile cedere nequit, ſed potius irritatum ſe contrahit, neceſſario pylorum elevare, et ingeſtorum exitum omnino impedire debet. Ingeſta, igitur, cujuſcunque naturae, ſic retenta et fota, ſuas ſequuntur indoles, fermentant, putreſcunt, vel ranceſcunt, aërem generant, ventriculum magis magiſque diſtrahunt, anxietates ſummas producunt, &c. donec, ſummopere irritatis naturae viribus, ſequitur plerumque vomitus copioſus, debilitans. Ventriculus vero ſic ſaepius diſtentus, omnem tandem contrahendi vim amittit, et inſtar ſacci inertis pendet, unde vomitu fere perpetuo laborant aegri: praeterea potatorum ſolida adeo ſtimulo vinoſo aſſueta ſunt, ut, niſi hoc excitata, tonum omnino amittunt, relaxantur et vacillant: hinc eorum ventriculi, tam hac de cauſa, quam diſtractione frequenti, fere reſoluti, ingeſta penitus expellere haud valent, dum cryptae mucoſae magnam muci tenacis a ſanguine pituitoſo ſecreti copiam effundunt; unde ingrate afficiuntur nervi, et niſi aſſiduo ſtimulus vinoſus adhibetur, perpetuo vomendi conatu, manu vacillante, &c. torquentur miſeri.

A ventriculi debilitate ſaepius forte quam ab ulla alia cauſa contingit vomitus, ſaltem idiopathicus; namque, in tali caſu, vel minima cibi copia vix probe unquam digeritur; ſed, ob motus fibrarum periſtaltici inertiam, aliquandiu detenta, et cum cibi prioris reliquiis commiſta, citiſſime indolem ſuam ſequi incipit, acrimoniam acquirit, et irritatione vomitum excitat. Quo vero major alimenti copia ingeritur, eo altius elevatur et arctius ſtringitur pylorus. unde facilius ſponte degenerant alimenta.

Causae vomitus fere innumerae recte ſatis ad capita ſequentia revocari poſſunt, ſcil.

1mo, Ad ventriculi ipſius ſubſtantiae vitia; qualia ſunt debilitas, nimia irritabilitas, convulſio, inflammatio, ulcus, ſcirrhus, contuſio, vulnus.

De debilitate jam dictum eſt, quae homines debiliores, a morbis diuturnis convaleſcentes, otioſos, ſtudioſos, liquoribus tepidis relaxantibus nimium indulgentes, guloſos, &c. praecipue infeſtat; cognoſcitur ex anorexia, aliquando bulimo, ructu, ventriculi inflatione, aut vomitu poſt cibum, carne pallida, macie; ſed praecipue ex morbis antegreſſis et vitae ratione.

Ventriculus nimium irritabilis pari modo ab ingeſtis lenioribus afficitur, ac ſanus ab acrioribus affici ſolet, hinc excitatur vomitus: hicce caſus a muci, nervos ſenſiliſſimos obvolventis, ex aſſumptis acrioribus, vomitu ferox, &c. abraſione contingit, et ex praegreſſis cognoſcitur.

Quoniam

QUONIAM in pathematibus nervosis nullae non fibrae musculares in corpore spasmis obnoxiae sunt, minime mirandum est, si aliquando ventriculi, &c. fibrae in convulsiones actae, vomitum excitarent. Feminas hystericas, viros epilepsia, morbo hypochondriaco, &c. laborantes praecipue infestat haec species, et cognoscitur ab aegri dispositione, atque a comitantibus.

IN ventriculi inflammatione, nervi distracti ingratam menti sensationem imprimunt, unde vomitus sequitur enormis, dolorificus. Saepe in morborum eruptionibus stipatorum initiis talis oritur vomitus, dum adhuc circa praecordia latet morbi materies, sed tum inflammatio adest levis tantummodo, quae, crisi facta, evanescit, nisi, uti quandoque fit, pustulae in ipso stomacho generantur. Haec inflammatio in morbis contagiosis eveniens, a miasmatis ex aëre hausti, et cum saliva deglutiti, irritatione plerumque oritur, nec facile, nisi materia ad corporis superficiem depulsa, curatur. Haec vomitus causa cognoscitur ex praegressis, constitutione epidemica, febre acuta, (licet pulsus plerumque debilis et parvus inveniatur) summo ad attactum rei alicujus deglutiti dolore, vomitu perpetuo, feroci, ardoris sensu, jactatione, &c.

ULCERIS in ventriculo formati labia inflammata et tenera facillime ab ingestis irritantur, unde, pure corrupto concurrente forte, excitatur a pastu praecipue, vomitus. Cognoscitur ex inflammationis et suppurationis signis antea ortis; puris sursum aut deorsum rejectione; dolore acri ulceroso, supra umbilicum fixo, et ab acribus assumptis

ptis aucto; nauſea, vomitu, ructu foetido; ſiti, tabe, febre lenta, hectica.

Scirrhus ſaepenumero ventriculum infeſtat, et facile in cancrum cito lethalem degenerat. Quoniam hi tumores tunicas ventriculi vicinas diſtrahunt, mole retentionem ciborum facilem impediunt, ſitu pylori exitum claudunt, aut exulceratione ſaniem corroſivam effundunt, facile patet cur vomitum perpetuum, praeſertim acribus irritati, producunt. Scirrhi vero, ipſo vomendi conatu et frictu perpetuo, citiſſime augeſcunt, aut in cancrum tranſeunt, quia hac actione augetur ſanguinis impetus et calor, acceleratur materiae ſtagnantis putrefactio et vaſorum a tumore compreſſorum dilatatio, inflammatio, ruptura; quae certiſſime cancri venenum excitant, et malum diriſſimum lethale producunt. Cognoſcitur haec cauſa ex inflammatione minime benigne reſoluta praegreſſa, temperie, victu, &c. ſcirrhi generationi faventibus *, ſpirituum ardentium, vel acidorum uſu nimio; ex tumore duro, et ponderis circa ventriculi regionem ſenſu; dolore fixo, lacerante, obtuſo, poſtea lancinante, et ad minima ingeſta, praecipue acria, inſurgente, vomitu enormi, diuturno, poſt paſtum aucto, et, nonobſtantibus remediis optimis, pertinace.

Vulnus aut contuſio partem adeo nervoſam occupantia, mala diriſſima, inflammationes, convulſiones, &c. producunt.

Vomitus cauſae reduci poſſunt, 2do, Ad ea, quae ore ingeruntur; qualia ſunt, vegetabilium vel animalium partes, ſive medicamenti ſive alimenti titulo, nimia copia aſſumptae; cibi nimis viſcidi, acres, putridi, vel ii quos homines

* Vid. Boer. aph. 483.

homines quidam idioſyncraſia quaſi ſine moleſtia ferre nequeunt; medicamenta irritantia, venena, vermes, miaſmata morbifica ex aëre hauſta, &c.

ALIMENTA, &c. nimia copia (ratione virium) aſſumpta, ventriculi orificia modo antea dicto conſtringunt, (vel ob fibrarum debilitatem expelli nequeunt,) atque ſic in loco humido et calido detenta, in degenerationem ſpontaneam cito vergunt, acria fiunt, et vomitum producunt. Sive alimentum vegetabile ſit, ſive animale, ſive denique blandiſſimum oleoſum, eoſdem omnino effectus, in ventriculo calido diu retentum, producit. Prius vero (uti ex chemicis conſtat) acidam, ſecundum alkalinam putridam, et poſterius rancidam, omnia tamen acerrimam induunt naturam. Infantes a lacte congeſto, uti antea dictum eſt, hujuſmodi vomitui valde obnoxii ſunt; ſed homines debiliores et intemperati praecipue ab eo torquentur.

QUANDO cibi nimis viſcidi debilibus ingeruntur, diſſolvi nequeunt, ſed in ventriculo retenti tumeſcunt, et ponderis ſenſum, anxietatem, tandemque vomitum creant.

VENTRICULI ſuperficies interna muco tenaci obducta nervos ſenſiliſſimos ſuppoſitos ab attactu rudiore defendit; ſed quando acria, aromatica nimis fortia, medicamenta irritantia, venena quaedam, &c. ingeruntur, mucus hicce eorum vires obtundere nequit, irritantur nervi, et excitatur vomitus; imo haud raro ventriculi ipſius inflammatio ſequitur.

QUAEDAM vero, ſenſibus noſtris externis minime acria, vomitum facillime producunt; ſic vinum benedictum, quod

quod nullum acrimoniae ſenſum guſtui, &c. imprimit, rejectionem tamen, modo quodam ingrato ventriculi nervos afficiendo, cito creat; dum alia ſenſibus acria minime eundum effectum producunt. Unde apparet affectionem determinatam ſenſorio communi impreſſam omnino ad vomitum excitandum requiri, dum requiſita ad hanc affectionem producendam ſenſibus noſtris omnino diſtingui nequeunt.

HINC etiam idioſyncraſia quaſi vomitus quibuſdam ab ingeſtis leniſſimis excitatur: namque homines vidi, qui ne vel minimam mellis guttulam, licet inſcii, deglutire potuerunt, ſine enormi vomitu confeſtim excitato; eundem effectum a butyro leniſſimo, lacte, ovis recentiſſimis, &c. productum novi. Phaenomeni hujuſce cauſam neſcimus, ſed adeo in hominibus hiſce conſtitui videntur ventriculi nervi, ut ad ſtimuli peculiaris attactum ingrata menti imprimeretur ſenſatio.

ALIMENTA putrida, fungi quidam venenati, et multa ſimilia ingeſta, (licet horum nonnulla vix acria nominari queant) talem ſenſorio communi ſtimulum imprimunt, ut nunquam non exinde ſequatur vomitus. Imo horum memoria, viſus, olfactus, guſtus, &c. eundem effectum producunt.

VERMES recte ſatis ad ingeſta reduci poſſunt, quoniam hodie experimentis probatur, inſectorum ova cum alimentis aut aëre aſſumpta, et apto nido fota, hos ſolummodo producere poſſe. Haec animalcula vel ipſius ventriculi tunicas rodendo et volutatione titillando, vel inteſtina irritando vomitum inducunt. Adeſſe cognoſcuntur ex

aetate

aetate puerili (licet haud raro quoque adultos infeſtent) abdominis labore, ejus inflatione, praeſertim poſt cibum, febre irregulari, pallore, macie, &c. ſed praecipue ex vermium rejectione.

In atmoſphaera noſtra omnis fere generis particulae obvolitant, et inter reliquas effectibus quandoque inveniuntur morborum epidemicorum, variolarum, peſtis, &c. ſemina, quae humores quodammodo inquinando, et ſolida ſtimulando, corpori morbos inducunt. Haec miaſmata perpetuo per os cum aëre hauſta, in ſaliva inviſcantur, et cum ea deglutita, nervos ſenſiliſſimos ventriculi afficiendo, nauſeam, vomitum, tormina, et cardiae inflammationem producunt, donec in ſanguinem reſorpta, morbos proprios excitant: ſemper autem primas in ventriculo ſtrages edunt. Haec cauſa ſolummodo conſtitutione epidemica regnante cognoſcitur.

Vomitum excitant, 3tio, Ea quae ex aliis in corpore locis deferuntur: ſcil. ſuccus gaſtricus, abſtinentia, labe ſcorbutica, &c. nimis acris redditus; muci ventriculum obducentis nimia ſecretio et accumulatio; materia critica quaevis in ventric. depoſita; evacuationes ſolitae retentae et ibi derivatae; materiae podagricae, rheumaticae, &c. metaſtaſis; bilis aut ſaniei cujuſvis purulentae a ductibus biliariis aut inteſtinis ad ſtomachum regurgitatio, &c.

Ventriculi ſuperficies interna vaſculorum exhalantium et inhalantium extremitatibus innumeris pertuſa, humore a ſanguine ſecreto perpetuo madeſcit. Si igitur fons acrimonia inquinatur, rivos inde derivatos eandem naturam poſſidere neceſſe eſt: unde oritur ventriculi nervorum affectio ingrata.

ALIQUANDO tamen tanta fit in ventriculo muci tenacis accumulatio, ut exinde nauſea vomituque perpetuo laborant aegri. Haec vel a habitu corporis glutinoſo, ingeſtorum cruditate, ſolidorum laxitate, vel denique a motus defectu, vitaque otioſa ſedentaria, ortum ducit. Omnia enim iſta vel muci ſecreti cõpiam augent, vel ejus excuſſionem a ventriculi lateribus, et expulſionem impediunt. Senes, otioſos, ſtudioſos,, et glutinoſos praecipue infeſtat haec ſpecies; et cognoſcitur a habitu corporis, vitae ratione, nauſea ſenſim ſine aliorum humorum ſignis aucta, ſitis abſentia, materiae rejectae qualitate, &c.

QUANDO morborum perficiuntur criſes, humores morbifici cocti, ſoluti, et vitae functionibus inutiles, a reliquis ſecedunt, et per emunctoria quaedam e corpore expelluntur; aliquando in ventriculum impingunt, et per vaſcula exhalantia depluentes, vomitum natura ſua aliena excitant. Cõgnoſcitur haec ex ſignis coctionis praegreſſis, et ſymptomatum levamine.

QUONIAM evacuationes ſolitae plerumque aliquid oeconomiae inimicum ſubducunt, nunquam ſine turbis graviſſimis excitatis ſupprimi queant. Suppreſſione igitur facta, inimicum illud retentum, vel mole, vel acrimonia naturam irritat, et vitae vires ad expulſionem promovendam excitat, unde in hoc vel illud organum impingens, varia ſymptomata pro materiae et organi natura diverſa producit. Si in ventriculum incidens, in ejus cavitatem depluat, ſuccedit vomitus; cujus a menſium, urinae, excretionis cutaneae, &c. ſuppreſſionibus producti paſſim extant exempla.

MATERIA

MATERIA quoque podagrica, rheumatica, ſcorbutica, varioloſa, &c. a cutis ſuperficie et corporis partibus extremis repulſa, haud raro in ventriculum impingit, et vomitum enormem generat: ſed in hoc caſu ventriculi ipſius ſubſtantia in vitio eſſe videtur; et vomitus forte eo tempore a vaſculorum hujus minimorum obſtructione tantummodo oritur, quia nixus, materiâ ad ſedem antiquam revocata, ſponte plerumque ceſſant.

BILIS, aut materia quaevis putrida, acris, circa duodeni flexum collecta, et exinde in ventriculum aſcendens, ob ingratam ſuam ſtimulandi poteſtatem, vomitum facillime producit; nihil enim ventriculo magis ingratum, aut generi nervoſo magis inimicum, invenitur, quam fomes putrida quaevis circa primas vias latitans; unde oritur capitis dolor, ſyncope, &c. Quoniam ab inſertione ductûs choledochi duodenum ſiniſtrorſum oblique et ſurſum ad eandem fere cum pyloro altitudinem aſcendit, facile patet cur, irritatione ad inteſtini flexum incepta, materia quaevis aeque facile exinde ad pylorum laxatum, ac ad jejuni initium aſcendere queat; praeſertim quando nihil motum periſtalticum deorſum determinat. Haec materiae putris congeſtio, aeſtate praeſertim et autumno, hominibus bilioſis, et victu acri animali utentibus contingit; et febres, vel uti cauſa, vel effectus, ſaepiſſime comitatur. Cognoſcitur ex aegri temperie, materiae rejectae qualitate, ore amareſcente, ſordido, ſiti, aeſtu, nauſea, ructu nidoroſo, ventriculi ardore, &c. antegreſſis, &c.

MATERIA purulenta ex hepate ſuppurato, bilis atra commota, et in ductus biliarios impulſa, &c. eoſdem omnino effectus producunt, et ſuis praegreſſis dignoſcuntur.

4to,

4to, et ultimo, Ad vomitus causas pertinent externe ventriculum comprimentia, viz. hepatis, lienis, pancreatis, omenti, viscerumque vicinorum tumefactiones; cartilaginis xyphoidis introrsum incurvatio, &c.

Ventriculus infra diaphragma immediate situs, partem fere mediam habet cartilagini ensiformi respondentem; dexterius magna parte hepatis lobo sinistro tegitur; sinisterius lieni assidet; inferius omento nectitur, et posterius pancreati subjecto innititur. Si igitur horum viscerum vicinorum quodvis tumore inflammatorio, suppuratorio, scirrhoso turgeat, vel ex sympathia, vel ex ventriculi ipsius compressione et laesione, vel denique ex ingestorum exitu impedito superveniunt vomitus et dolor, praecipue post pastum insurgentes; quia tunc tenera ventriculi substantia, contra tumorem durum pressa, laeditur, aut cibi per pylorum exitus impeditur. Hae causae, nisi recentes, difficillime medelam plerumque admittunt, et dignoscuntur vomitus pertinacia, tactu, ponderis, doloris, &c. in parte abdominis peculiari sensu, decubitu in situ quodam facillimo, spirandi difficultate, vultus foeditate, ictero, (ventriculo repleto) anxietate et inflatione, (vacuo) contrariis, &c.; ex quibus consideratis partis tumidae situs et natura quodammodo distingui possunt.

Hisce causis addi quoque meretur coli, immediate infra ventriculum decurrentis, a faecibus induratis, flatu, &c. distensio nimia; unde stomachus comprimitur vicinus, et impeditur liber ingestorum exitus. Hoc incommodum studiosis et foeminis gravidis praecipue contingit; quia in his,

his, vel a motus defectu, et corporis incurvatione perpetua, vel ab uteri gravidi preſſione, multum impeditur faecum flatuumve deorſum propulſio; unde haec circa coli flexuras collecta inteſtinum hocce maxime diſtendunt. Cognoſcitur haec cauſa ex vitae ratione, aegri ſtatu, alvo ſuppreſſa, aut ſcybalarum perfecte induratarum excluſione, tumoris inaequabilis, et doloris minime conſtantis infra ventriculum ſenſu, borborygmis hinc inde per coli tractum vagantibus, &c.

Excussa ſic morbi aitiologia, ad vomitus inſtantis ſigna enumeranda pergendum.

Hunc igitur imminentem portendunt nauſea et faſtidium, cardialgia, praecordiorum tenſio, eructatio, ſputatio frequens, ſpirandi difficultas, labri inferioris tremor, oſcitatio, vultus pallor, capitis dolor, languor, ſyncope, vertigo, tenebrae oculis obverſae, pulſus intermittens et durus, &c.

Quoniam materia irritans intra ventriculi clauſtra latet, ingrate afficiuntur nervi, conſtringuntur orificia, et retinetur aër, qui tandem, ſpaſmis reſolutis, ructu erumpit. Unde nauſea, cardialgia, praecordiorum tenſio, &c. oriuntur.

Sputatio frequens a nervorum vaſcula ſalivalia perreptantium ſympathia oriri queat. Vel forte aër, materiae ingratae particulis quibuſdam inquinatus, e ventriculo erumpens, eundem effectum, nervos guſtatorios et ſalivales afficiendo, producere valet.

Spirandi difficultas vel a ventriculi tumore diaphragma ſurſum premente, vel ab organis reſpiratoriis ſpaſmodice ob ſympathiam affectis, ortum ducit.

MIRABILIS omnino eſt ſympathia quae cerebro cum ventriculo intercedit. Hujus tamen indies occurrunt exempla; nunquam enim aegrotat unus, quin alter quoque patiatur. Praecipue autem (uti a WEPFERI experimentis patet) affectio ventriculi ingrata cerebrum totumque genus nervoſum maxime turbat; hinc, vomitu inſtante, materia irritans, ventriculi nervos male afficiens, ſymptomata nervoſa memorata producit. Haec autem, materia irritante rejecta, ſponte ceſſant.

VOMITUS igitur cauſa immediata conſtituitur ſenſorii communis affectio ingrata, quae mentem ad poteſtates, huic incommodo debellando aptas, excitandas impellit *.

OMNES antea enarratae cauſae ſenſorium modo peculiari ingrato commovebant, unde (quoniam motus determinati ſenſationibus propriis neceſſitate quaſi reſpondent,) mens ſic affecta muſculos vomendi actioni neceſſarios in motum deducit, et effectus, quantum obſervare licuit, ſequentes edit.

PRIMO, thorace aëre oppleto, ſtringitur glottidis orificium, et retinetur anima, dum diaphragma ſic maxime depreſſum, et immobile (vel actione propria, vel pulmonibus dilatatis) retentum, viſcera deorſum magna vi urget, et muſculos abdominales in arcum majorem elevat. Immediate poſt muſculi abdominales tenſi quaſi, et vi ſumma agere parati, ſeſe impetu vehementiſſimo conſtringunt, viſcera ſurſum et retrorſum contra diaphragma renitens maxime, et immobile, premunt, ſicque ventriculum, in prelo quaſi compreſſum, evacuant. Ad hanc quoque evacuationem perficiendam concurrere videtur

* Dr. WHYTT *on vital and involuntary motions, p.* 252.

nequit, quia organorum ſecernentium diſpoſitio intima, ad ſecretionem naturalem requiſita, omnem indaginis acutiem effugit.

Ob chyli in ſanguinem ingreſſum impeditum, ſecretiones liquidiores auctas, ſanguinis motum incitatum, ſummum viſcerum attritum, eorum quaquaverſum preſſuram, ſyſtematis nervoſi turbas, ſpir. animalium in ventriculi cavitatem forte depluentium evacuationes, &c. oriuntur acrimonia humorum, ſitis, macies, ventriculi dolor, ſingultus, herniae, debilitas ſubitanea, &c.

Quoniam inter vomendum retinetur anima, ſanguinis per pulmones transfluxus impeditur; unde parca tantummodo ejus copia ad ventriculum cordis ſiniſtrum tranſudat, dum obruitur fere et palpitat cor dextrum. Ab eadem quoque thoracis immobilitate, ſanguinis a cerebro reditus impeditur; unde obruuntur, diſtrahuntur, et haud raro rumpuntur capitis vaſcula. Si igitur hiſce, ſyſtematis nervoſi turbae, et parca ſpirituum copia, a ſanguine ſpiſſo jam ſecreta, addantur, facile pulſûs et capitis morborum ratio patebit.

Sequuntur nunc in genere vomitus praeſagia, ab Hippocratis monumentis ommino fere decerpta.

Quo ſymptomatum jam enumeratorum pauciora apparent, eo melius, et contra.

Vomitus minime moleſtus, optimus; quo enim major ad materiam expellendam requiritur nixus, eo majores erunt ſyſtematis turbae, et pulmonum cerebrique a ſanguine accumulato oppreſſio.

Vomitus haud nimis copioſus, bonus; quando enim materies nimia copia profluit, parte ſubtiliore privatur ſanguis, et maxime proſternuntur vitae vires.

Bilis cum pituita miſtae vomitus bonus; quia ex hoc corporis temperies nec nimis bilioſa, nec nimis pituitoſa, adeoque facilius corrigenda, demonſtratur.

Vomitus meracus, anxioſus, praſinus, ruber cum conatu majore expulſus, niger, aut male olens, ab Hippocrate mali judicantur; praeſertim ſi omnes colores ab eodem aegro prorumpunt. Sine dubio, ſi materia talibus coloribus, &c. praedita, nec malum levans, ab aegro aliis ſymptomatibus malis obruto, rejiciatur, malum, ob cerebri affecti metum, portendat; aliter minime; quoniam vomitus praſini foeminis hyſtericis, navigantibus, &c. ſine minimo periculo, et nigri, etiam febrium judicatorii, aeſtate et autumno haud raro contingunt. Vomitus autem lividi et male olentes viſcerum gangraenam plerumque indicant.

Ex vomitu, ſingultus, convulſio, oculi rubicundi, pulverulenti, anxietas, clangor vocis, malum: omnia enim haec ſyſtema nervoſum maxime affectum, ſanguinemque immeabilem, et lachrymarum, roris bronchialis, &c. ſecretionibus ineptum demonſtrant.

In genere, vomitus in morborum incremento, ante coctionis ſigna praegreſſa, et ſine ſymptomatum levamine contingens, malus: tum enim plerumque inflammantur ventriculus, aut viſcera vicina. Contra, qui poſt coctionem evenit, humorem peccantem educit, et ſymptomata mitigat, bonus.

detur motus fibrarum ventriculi antiperiſtalticus leniſſimus, ut materiae motus ſurſum determinetur; ſaltem vero in canibus apertis talis ſemper inter vomendum conſpicitur motus. An vero ſolo ventriculi motu antiperiſtaltico ſurſum in os rejici poſſunt contenta, vix dicere auſus ſum; ſed quantum in canibus obſervare potui, ventriculus, in ipſo vomendi nixu, motu tactui ſenſibili vix potitus eſt; imo, oculo nudo expoſitus, in contractiones leniſſimas hinc inde tantummodo agebatur. Materia autem ſic e ventriculo expulſa, vel vi primo impreſſa, vel inverſo fibrarum oeſophagi motu, ſurſum ad pharyngem aſcendit; quo tempore velum palatinum ad narium poſtrema raptum, eorum orificia omnino claudit, et commercium cum ore intercipit; dum larynx ſurſum antroſum ducta pharyngem dilatat, ad anteriora trahit, et epiglottidem (linguae radice elevata relaxatam) rimae ſuae applicat; unde facillime in faucium cavitatem patet materiae aditus, dum omne vel in nares, vel in laryngem (antea quidem clauſam, magiſque adhuc ad materiae rejectae attactum ſpaſmodice conſtrictam) prolapſus praecavetur periculum: ore igitur nunc aperto, et linguae radice quodammodo depreſſa, materia ex faucium cavitate in terram propria ſua gravitate, et vi prius impreſſa dilabitur; vel aër ex glottide, ob anxietatem jam aperta, proruens, magno cum impetu, quicquid in ore continetur, ſecum everrit. Hoc facto, niſi aufertur jam cauſa irritans, aëre iterum oppletur pectus, omniaque modo antea dicto rurſum eveniunt.

VOMITUS

Vomitus jam explicati effectus hi numerantur: ſumma ventriculi, omniumque nervorum abdominalium affectio, viſcerum agitatio, compreſſio et emulctio, liquorum verſicolorum expreſſio; chyli recentis in ſanguinem introitus impeditus, acrimonia, ſiccitas, macies; debilitas ſubitanea, ventriculi dolor et inflammatio, ſingultus, ileus, herniae; diaphragmatis dolor, anxietas, ſanguinis ſputum, pulſus debilis, celer, inaequabilis et intermittens. Vultus rubedo et inflatio, oculi ſanguine ſuffuſi, caliginoſi, aurium tinnitus, capitis dolor, vertigo, epilepſia, convulſio, apoplexia et mors.

A viſcerum abdominalium agitatione et compreſſione alterna, atque a nervorum hiſce partibus proſpicientium affectu, maxime augentur ſecretiones chylopoieticae, et ſurſum retropreſſae magna ſaepe copia per os ejiciuntur. Hae vero non ſolum auctae, ſed et varie mutatae inveniuntur; nunc enim flavae, nunc praſinae, nunc rubrae, &c. rejectae apparent: imo plerumque in vomitu feroci, ſucceſſio quaedam horum colorum lenta obſervatur. An miſtiones liquorum diverſorum cum bile chemicae hanc rem explicant? Vereor quod liquida varia huic operi neceſſaria in corpore animali vix adeſſe queant. An potius variae vaſculorum ſecernentium mutationes a ſyſtematis nervoſi turbis inductae, hanc colorum mutationem producunt? An hanc rem confirmant ſubitae bilis coloris mutationes ab animi affectibus, inſultibus hyſtericis, cerebri vulneribus, inflammationibus, navigatione inſolita, et multis ſimilibus nervos maxime afficientibus, ortae? Qualis vero ſit haec mutatio, a fabrica corporis adhuc cognita explicari nequit,

Vomitus aliquando magna cum velocitate ſtadia percurrit, quando ſcil. ab inflammatione, venenis, &c. oritur; interdum tamen per multos annos haud raro incurabilis perſtat, quando ventriculus, aut viſcera vicina, ſcirrho laborant, &c.; namque vomitus a viſcerum ſcirrho vel ulcere ortus, raro, (praecipue ſi diu jam duraverit), ullam medelam, praeter palliativam, admittit.

Vomitu, ejus cauſis, effectibus, et prognoſi ſic breviter explicatis, quaedam de curatione proferenda tantummodo reſtant.

Curatio igitur, imo, Senſationis ingratae vomitum excitantis ſedationem; 2do, Symptomatum ſaeviorum mitigationem; et, 3tio, Morbi reditûs prohibitionem requirit.

Antequam tamen vomitus medelam aggrediamur (quoniam a cauſis fere innumeris curam variam poſtulantibus ortum ducit) ſumma animi attentione utendum ut cauſam morbi veram detegamus; hoc enim facto, facillime tam prognoſim, quam medendi methodum inſtitutam inveniemus, et hoc neglecto, aeque prompte aegrum interimere ac curare poſſumus.

Quoniam igitur, quamdiu ſenſatio ingrata mentem afficit, tamdiu actiones iſti ſenſationi congruae, ſcil. vomitus, excitari debent, facile patet cur haec irritatio ante omnia tollenda.

Ad hoc perficiendum varia admodum pro cauſae varietate requiritur methodus; in genere tamen vel cauſam ipſam ſubigendo, vel ea manente, ſenſum tollendo, peragitur medela.

Subigitur

Subigitur autem cauſa vel roborando (de quo poſtea) uti in ventriculi debilitate. Vel demulcendo uti in irritabilitate nimia, ubi medicamenta lenientia, obvolventia, glutinoſa, gelatinae, &c. optime conducunt. Methodus quoque antiphlogiſtica cum remediis attenuantibus et reſolventibus aliquando, uti in viſcerum inflammatione, ſcirrho, &c. omnino neceſſaria invenitur: quoniam autem ventriculi ſubſtantiae viſcerumque vicinorum vitia curationem ſingulis propriam requirunt, de his minime agendum; ſed obſervandum tantummodo, quod in inflammatione et ſcirrho omni modo cohibendi ſint vomendi nixus, quia quo magis urgent hi, eo magis increſcit cauſa. Inflammatio enim in ſuppurationem et gangraenam, ſcirrhus vero in cancrum, motu fictuque cito degenerat. Scirrhi autem vel ulcera ventriculi, &c. plerumque lethalia inveniuntur. Ad vomitum autem in hiſce caſibus leniendum, (quoniam ab ingeſtis plerumque excitantur paroxyſmi) ciborum vel medicamentorum flatulentorum, irritantium, &c. ingurgitatio caute evitanda, et reſolventia leniſſima, balſamica, cum victu tenui, vegetabili, lacteo, minima ſimul copia aſſumpto, ſumma cum diligentia adhibenda ſunt. Si autem, non obſtantibus hiſce, perſtat adhuc vomitus, ad opiatorum (de quibus poſtea) auxilia confugiendum.

Expellendo quoque feliciſſime interdum ſubigitur cauſa irritans, uti in vomitu ab ingeſtis, materia bilioſa collecta, muci nimia accumulatione, &c. orto contingit. Hinc vomitum promoventia, nunc aquoſa, nunc oleoſa, nunc acida, nunc alkalica, &c. pro humoris evacuandi varia requiruntur.

Quod

debeat ſanguis, tam ad vaſculorum rupturam, quam viſcerum inflammationem ab attritu praecavendum.

REMEDIA igitur antiemetica optima, et nervorum turbis optime in hoc caſu medentia, ſunt opiata, ſedantia, et ſtimulum gratum ventriculi nervis imprimentia; quia irritationis moleſtae perceptionem minuunt, convulſiones ſedant, motum ſpirituum turbulentum compeſcunt, et aegri vires reficiunt. Hinc opium, moſchus, ambragriſia, &c. cum aqua menthae, cinnamomi exhibita; hauſtus ſalinus Riverii, vinum, aromata leniora optime conducunt. Eidem uſui inſerviunt externa, quae ſtimulum ſenſorio gratum imprimunt, et ſenſationem moleſtam minuunt. Hinc aceti vapores in os hauſti, epithemata ex theriaca cum ſpir. ſalin. arom., ſacculi ex abſynthio, mentha, cinnamomo, mace, caryophyllis, &c, compoſiti, in vino rubro cocti, et ventriculi regioni appoſiti, optimos ſaepe producunt effectus. Clyſmata quoque, praeſertim opiata, valde utilia ſunt; haec enim in colon tranſverſum propulſa, et immediate fere ventriculo ejuſque nervis applicata, ſpirituum turbas feliciſſime compeſcunt. Gummi foetida quoque, caſtoreum, &c. in vomitu convulſivo, hyſterico, tam externe quam interne adhibita, optime conveniunt. Cavendum autem, ne in inflammatione ulla praeter opiata leniſſima adhibeantur; maximeque ſtudendum, ut praeſcripta cauſae ſingulari cognitae adverſentur.

VICTUS tenuiſſimus, ſubfluidus, reficiens, et leniter vinoſus, optime conducit, quia humores liquidioribus orbatos acreſque diluit et demulcet, et aegri vires reficit, dum nullum ventriculum ſubvertendi periculum inducit. Pro

vomitûs

vomitûs autem cauſae varietate, nunc a vegetabili, nunc ab animali regno petendus eſt.

Si convulſio, oculorum caligo, apoplexia, &c. adſint, nec deficiat pulſus, ſtatim inſtitui debet venaeſectio. Si vero languent jam vitae vires, praeter remedia antea memorata, epithemata calida, ſinapiſmi, epiſpaſtica, clyſmata acria, et ſimilia confeſtim, tam ad derivationem a cerebro procurandam, quam ſpaſmos nervorum ſopiendos, adhibenda ſunt.

Cessante autem vomitu, praecipue diuturno, ſumma cautela opus eſt, ne recrudeſcat morbus ; quia tum ventriculus a minimis diaetae erroribus facillime iterum ſubvertitur. Quando autem cauſa in interioribus latet, frequentius quam aliter recurrit vomitus. Hinc cacochymici, ventriculo debili, aut viſcerum ſcirrho laborantes, paroxyſmos vomendi repetitos ſaepiſſime patiuntur, adeoque maxime ab erroribus cavere debent.

Quando a cacochymia bilioſa, acri, ſcorbutica, (vel nimia ciborum animalium putreſcentium ingurgitatione), oriebatur vomitus, omnia acria, ſtimulantia, calefacientia, cum motu nimio, victuque animali putreſcente, caute vitanda. Quies autem, frigus moderatum, diaeta tenuis aceſcens, potus acidulus, aquoſus, et cathartica acida leniora, diu continuata, optime conducunt. Victus autem huic contrarius, ſcil. animalis, in vomitu a vegetabilium aceſcentium uſu, lacte coagulato, &c. orto, requiritur.

Si cacochymia frigida, pituitoſa peccat, iiſdem remediis, ac ventriculi debilitas, curatur : emeticum enim amarum corroborans, ad ſaburram viſcidam expellendam, et fibrarum

QUOD ad miaſmatum effectus ſpectat, hi nunc ſanguinem mittendo, nunc ſudorem excitando, ſemper fere materiam noxiam corporis ſuperficiem verſus depellendo, ſopiuntur. Hinc naturae ductui in hoc caſu ſemper favere debemus; ſed quoniam levis ſaepe ventriculum obſidet inflammatio, ſanguinem mittere (ſi nihil vetat) et medicamenta leniſſima acidula exhibere neceſſe eſt. Neque enim vomitum in hoc caſu ſtatim ſupprimere ſemper ſtudendum; ſed vehementiam ejus nimiam, aegro forte noctiuram, modo jam dicto temperare tantummodo conandum; quia particulas forte noxias, aliter in ſanguinem deferendas, educit. Vomitus quoque criticus, ſi aegri permittant vires, potu tenui, aquoſo promovendus eſt.

VOMITUS ſtudioſos gravidasque infeſtans, enemate laxante, cathartico leniori ſaepius exhibito, victu tenui, laxante, lubricante, et exercitio modico curatur.

QUANDO ab evacuationibus ſolitis retentis &c. oritur morbus hicce, remedia varia aperientia, evacuantia, attrahentia, pro humoris retenti indole varia requiruntur; ſed de hiſce, aliorum morborum medelae pertinentibus, fuſe hic loci differere non opus eſt.

MATERIAE vomitum producentis correctio ſive mutatio haud raro maxime conducit; praeprimis ubi morbus ab ipſo ſanguine vitiato ortum ducit, vel ubi adeo franguntur aegri vires ut vomitum amplius perferre nequeant, et tamen ubi materiae non mutatae retentio maxime nocebit, uti in vomitu bilioſo, a lacte in infantibus coagulato, acri, vel a venenis quibuſdam ingeſtis, &c. orto,

contingit: hinc remedia abſorbentia, alkalica, acida, &c. pro varia materiae indole cognita, haud raro ſummos praeſtant effectus.

ALTERA ſenſationem moleſtam ſopiendi methodus, in mente modo peculiari grate afficienda, adeo ut moleſtiae ſenſum minime percipiat, conſiſtit. Haec in vomitu, a convulſionibus, ſpirituum animalium turbis, &c. orto, compeſcendo, ſummopere confert. Quando viſcera inflammatione, ulcere, ſcirrho, &c. laborant, et maxime urgent vomendi nixus, ſumme neceſſaria ſunt (cum remediis morbo primario debellando aptis) opiata, aliter maxima expectanda ſunt mala; morbi enim cauſa vomitu nunquam rejicitur, ſaepius tamen a nixibus repetitis immedicabilis evadit. Quando autem a materie acri putrida in primis viis collecta oritur vomitus, iſta methodus nunquam, niſi hac prius expulſa, vel ſumma urgente neceſſitate, in uſum revocari debet. Quia autem maxime interdum a laboribus proſternuntur aegri vires, ſtatim, in hoc caſu, ne exinde periclitetur vita, cohibendi ſunt vomendi conatus: et quia, materiâ etiam expulſa, durat haud raro, a nervis et fibris ventriculi ex minima cauſa facile irritabilibus redditis, vomitus, eadem adhibenda ſunt remedia. Quoniam tamen talia indicationi quoque ſecundae reſpondent, de iis ſimul agendum; vomitus enim effectus, nixibus ſopitis, ſponte plerumque ceſſant, neque alia fere remedia, praeter his ſopiendis neceſſaria, requirunt.

PRIUS tamen obſervandum, quod in omne fere vomitu, dummodo ſufficiunt aegri vires, ante omnia mitti debeat

fibrarum motum quodammodo reſtituendum, cum cathartico roborante, attenuante, ſubinde repetendo, ante omnia praemittendum. Tum cibus eupeptus parva ſimul copia aſſumendus, cum condimentis quibuſdam attenuantibus, et potu aquoſo plantarum amararum ſuccis imbuto, praeſcribendus. Exercitium quoque omnis generis, ambulationis, equitationis, pilae; medicamenta ſtomachica, amara, roborantia, chalybs et cortex Peruvianus nunquam negligenda ſunt.

Hominibus vero, qui viſcere quovis ſcirrhoſo laborant, victus leniſſimus, tenuiſſimus, parca ſimul copia aſſumptus, cum quiete profunda optime conducit. Si enim alimenta vel acria, vel flatulenta, vel denique nimis copioſa ingerunt hi, aut motu violento utuntur, vomitum reſuſcitant, partes vicinas inflammant, ipſumque tumorem citiſſime cancroſum reddunt.

FINIS.

INAUGURALIS.

BRITISH MUSEUM
30 MAY 61

FINIS.